


DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
 DE
VESTITU,
 QUAM
 DEO ADJUVANTE,
 JUSSU & AUTORITATE GRATIOSI MEDICORUM
 ORDINIS IN ACADEMIA BASILIENSI,
 PRO
 SUMMIS IN ARTE MEDICA
 HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS
 RITE CONSEQUENDIS,
Ad Diem 21. Augusti, M. D. C. C. L.
 IN AUDITORIO MEDICO ÆSTIVO,
 HORIS SOLITIS,
 PUBLICÆ DISCEPTATIONI PROPONIT,
CAROL. THEOD. WEGELINUS,
 Dieffenhofiensis Helvetus,
 AUCTOR.



Typis, JOH. HENRICI DECKERI, Academ. Typogr.

DISSERTATIO IN VERTICILLIS MEDICAE

VERTICILLI

DEO ADIUVANTE
JUSSE AUTORITY GRAYSON MEDICINA

SUMMIS IN ARTE MEDICAE
HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS

IN AUDITORIO MEDICO AUSTRIACO

CAROL. THEOD. WIGGELINUS

AUSTRIA



Typo. Joh. Heinrich Beckner, Aussen. Typogr.



DISSERTATIONIS INAUGURALIS MEDICÆ
DE
VESTITU.

§. I.



Hæc de vestitu perscrutaturus, haud abs-
re facturus videor, si verbo prius osten-
dam, quid hoc sub nomine intelligatur,
ut omnis ambiguitas vitetur, & sequen-
tia eo clarius, & facilius perspiciantur.
Sub vestitu itaque comprehenduntur om-
nia, quibus mortales suum corpus, ex-
tus sub forma varia, vel honoris, vel com-
moditatis causa, vel & ex utraque ratio-
ne, tam in statu sano, quam morbofo tegere & involvere
solent. Cum tali vestitu autem, vestes, vestimenta, in-
dumenta, integumenta corporis, semper debent tanquam
unum idemque designantia, ac synonyma considerari. (a)

§. II.

Si jam breviter exquirere velimus, quam ex materie
vestimenta confici soleant, ad ipsa nobis decurrendum est
tria naturæ regna: hæc namque vestimentis, seu indumen-

A 2

tis

(a) Vide KIRSCHII cornu Copiæ.

tis substantiam præbent, sub infinita varietate: Velut ex regno minerali, aurum, argentum, lapis Amiantus, ex quo præparatur linum illud incombuſtibile, aliaque. Ubi tamen probè animadvertendum est, sæpiſſime hæc corpora mineralia, non conſtituere indumentorum materiam, ſed potius eorum ornamenta: quemadmodum sæpe lapides pretioſi, aut alia ex hoc regno ſplendentia, veſtibus inſuta cernuntur. Ex regno vegetabili huc ſpectant, cortices arborum, canabum, goſſypium, ſeu leuconium &c. Ex animali, ſericum, ſive à bombycibus, ſive araneis conſectum, (b) lana, crines, pelles, animalium in terra viventium, piſcium, aliorumque aquatilium, volucrumque in aère obvolitantium, harumque pennæ, &c. quæ omnia peculiari modo, pro uniuſcujuſque materiæ diſcrimine, & voluntate artificis, parantur, pleraque autem in pannum contexta, demum à ſartoribus in veſtes conformantur.

§. III.

At verò, quid ejusmodi veſtimentis in genere, quoad materiam, formam, & ornamenta varia, apud pleraſque gentes originem præbuerit, præciſe vix determinari poteſt. Populi, apud quos hodie ingens luxus in veſtitu regnare ſolet, olim penitus ſine veſtibus vivebant, ac ſuperficiæ corporum ſuorum, varias figuras pro diſtinctione imprimabant; id quod etiam de Celtis memoriæ proditum eſt, à quibus ipſi probabiliter antiqui noſtri Helvetii oriundi, hæc & alia cum illis communia habuere. Criticorum plures exiſtimant, deſiderium honoris, ac pruritus ſe ſe diſtinguendi, apud omnes gentes paulatim uſum veſtimentorum introduxiſſe; cum enim natura corporibus humanis tales dederit pelles, quibus, æque ac animalia bruta, per conſuetudinem omnis generis injurias, ac incommoda externa, facile eludere queant, nullam hinc fuiſſe veſtium neceſſitatem, adeoque neque hinc earum originem deducendam eſſe. At quamvis hoc forte apud plures gentes ita

accidit
(b) Vide Hamburgiſches Magazin des vierten Bandes erſtes Stück p. 224.

accidat, nihilominus in genere, & sine omni exceptione, ubique terrarum admitti nequit. Corpora nostra per consuetudinem, brutorum instar multa quidem externa incommoda ferre possunt, at nuda tamen, quorumvis locorum gravissimas quasvis molestias, à calore, frigore, pluviis, infectis, &c. non æque facile, ac vestibus idoneis tecta, sustinere valent. Unde verosimile est, homines passim forte hisce permotos, primum cogitasse de indumentis, dein bono successu eorum animatos, paulatim ea in perpetuum usum traxisse. Hic namque etiam locum habent verba INCLYTI BOERHAAVII, licet magis respectu morborum prolata, dum ait: *Ipsa vero molesta perceptio impediti in membris quibusdam motus; aut tormentum doloris læsam quamcunque partem exagitantis, impulit mentem, ut quarat, & applicet, apta his tollendis remedia, sive vago experimento, sive appetitu spontaneo utatur.* (c) Nonne hodie adhuc integræ Tartarorum nationes existunt, quæ ad incommoda, caloris, frigoris, insectorum, &c. avertenda, pro vestitu, simpliciter animalium utuntur pellibus, quarum superficiem lævem, caloris tempore, sive interdiu, cuti applicare solent; in frigore autem hanc extrovertunt, ac laneam seu pilosam cuti imponunt; utroque insuper modo morsus, ac læsiones innumerorum insectorum præcavent, quæ nudis corporibus, in quibusdam regionibus, ut relationes itinerariæ docent, inevitabiles ac intolerabiles sunt. Nobis itaque videtur, distinguendum esse, inter originem vestimentorum, pro honore, seu ornatu, & pro necessitate, quatenus vanitas & ostentatio, ad ornamenta, injuriæ autem externæ incumbentes, ad tegumenta & tutamina corporis, quærenda, mortales compulisse videntur. Iis autem quacunque ex causa semel susceptis, paulatim apud varios populos, vel distinctionis ac honoris ergo, seu majoris commoditatis gratia, ingens mutatio accessit. Idque jam antiquo tempore apud Helvetios ita habuisse, effata DANIELIS E-
A 3
REMITÆ,

(c) Institut. Med. §. 5.

REMITÆ, à Cl. JO. BABT. PLANTINO, allegata perhibent: *Vestitu*, inquit, à *Germanis distinguuntur locupletissimi, fluitantibus at versicoloribus braccis, tegmine quondam veterum Gallorum. Ceteri stictis, & singulos artus exprimentibus, vari sagulo, aut pallio utuntur. Domi tamen frugalior, & rudi crassaque lana, foris cultior, per urbes, per itinera ornatiore incedunt, uno atque altero servorum comitati. Fœminarum habitus elegantior; opulentiores serico; aliæ lineis amictibus velantur. Utraque purpura, aliisque coloribus variant, nigro fere etsi diverso capitis velamine, pilei in modum, nam centone non utuntur.*

(d)

§. IV.

Quanta vero diversitas vestium, quoad materiem, figuram, colorem, aliaque, apud diversos globi nostri terraquei incolas reperitur, neminem ut puto latet; imo sæpe incolæ ejusdem regionis & urbis, vario modo, moderni non perinde, ac majores vestiti incedunt. Ut olim jam, ita adhuc hodierno die superbia & luxus, mortales in perpetuas indumentorum variationes abripit, quanquam etiam antiquorum plures populi, diu satis simpliciori amictu contenti fuerint; sicut hodie quoque in nonnullis regionibus, integræ gentes vestimentis unius materiæ, & formæ indutæ spectantur. Ad exempla venire hac in re, instituti ratio, & arcti dissertationis limites, vetant, nam de his solis haud parvæ molis volumen conscribi posset; adeant, quibus interest, populorum fere quorumvis antiquitates, à variis diversorum temporum autoribus memoriæ proditas, nec non varia Itineraria, in quibus subinde materies de vestitu fufe admodum pertractatur.

§. V.

Causæ hujus diversitatis variæ esse solent, quarum unam & alteram allegasse sufficiat. Ita diversæ materiæ in diversis regionibus eligendæ, ansam & occasionem præbent,

(d) Helvet. ant. & nov. p. m. 144. 145.

bent, calor & frigus climatis, intensior, vel remissior. Calor enim eo perducit homines, ut vestimenta ex materie calefaciente conflata, abjiciant, & levi palliolo amicti, imo pene nudi incedant; frigidiori è contra in regione constituti, contraria induunt, leviora & minus calefacientia negligunt. Post calorem & frigus, nunc etiam ut causa variae materiae vestium, considerari possunt facultates, atque fortuna hominum varia. Ita divites ac nobiles, fere ubique terrarum, suas divitias, ac bonorum abundantiam, ipsis imprimis vestimentis; auro, argento, aliisque nitentibus, & artificiosis ornamentis, ac sæpè justo gravioribus ostentare consuevere. Hujus generis vestem describit VIRGILIUS. (e)

Ipsis præcipuos ductoribus addit honores,

(ÆNEAS)

Victori chlamidem auratam, quam plurima circum

Purpura Meandro duplici melibea succurrit:

Intextusque puer frondosa regius ida

Veloces jaculo cervos, cursuque fatigat,

Acer, anhelanti similis: quem præceps ab ida

Sublimem pedibus rapuit Jovis armiger uncis.

Longævi palmas nequicquam adsidera tendunt

Custodes, sævitque canum latratus in auras.

at minus lautæ fortunæ homines, vilioris pretii vestibus, & sæpè non minus commodis incedere solent. Abundantia quoque hujus, vel illius materiae, vestibus conficiendis aptæ, in multis terris incolas ad frequentiore, vel ordinarium ejus usum perducit; ita ut hocce à longo tempore assueti, aliis facile carere possint; sic in multis Indiarum regionibus, incolæ ferarum, & aquatilium carnibus vescuntur, eorumque pellibus indumentorum loco utuntur. Quin etiam religio hominum varia, & sub hac varii ordines, nec non varia ac diversa munera sive domi, sive in militia,

cum

(d) Vide æneidos Lib. V.

cum ipsa ubique fere dominante consuetudine , vario scopo , innumeris vestium variationibus , non tantum materiae sed & formæ , ac coloris respectu , ansam præbere observantur.

§. VI.

Sicut materia integumentorum , ita ipsa quoque forma in plurimis regionibus , & multo adhuc magis , perpetuis fere mutationibus subjecta deprehenditur , prout hic vel ille mos , gallice la Mode , invaluit , cujus impulsu modo hæc , modo illa forma , ac figura vestium , circumfertur : si de origine , & causis hujus diversitatis quærat , existimamus unam ex præcipuis esse , ut sexus hominum , viri nempe à foeminis , hoc modo distinguantur , tum ut munere quodam publico , vel dignitate aliqua gaudentes à privatis , item religiosi & sacerdotes , à politicis &c. fecernantur.

§. VII.

Quoad colorem , unusquisque pro lubitu & phantasia sua , modo hunc , modo alium eligit , ita tamen , ut colores hoc vel illo tempore usitiores (*Modensarben*) ac pulchriores , ceteris palmam præripiant : Interdum tamen ratio subest , quare nonnulli constanter certo quodam colore præditas vestes induant , sic venatores viridem amant , ut in silvis oberrantes , à feris minus internoscantur. Ornamentum militis (*die Muntierung*) efficit , ut legio à legione distinguatur , & milites , quando convocantur , statim perspiciant , ad quamnam cohortem properare debeant ; jam apud Veteres receptum erat , vestes hoc vel illo colore imbutas , certum quendam in usum eligere. Ita Lacones gestabant in bello purpureas vestes , ut notæ sanguinis vulneratorum coloris cognatione tegerentur , & alii minus terrerentur. EUSTATH. Od. 3. discolori veste usi fuerant , qui aliquid publica autoritate facerent. PITEUS Lib. I. Cap. 2. ut hodie adhuc in Lictoribus conspicitur ; solemnissimus mos erat quoque Romanis , fa-
cra

tra candidis vestibus peragere, ut perhibet CURTIUS. (f)
*Jille in candida veste verbenas manu praeferens, capite velato
 praibat preces, regi Jovem, Minervam, Victoriamque, pro-*
pitianti, & OVIDIUS canit (g)

*Vestibus intactis Tarpeias itur ad arces,
 Et populus festo concolor ipse suo est.*

S. VIII.

Vestimenta nunc quomodocunque, & ex quacunque
 materie confecta, in sequentes usus conducunt; primum ut cor-
 pus ab injuriis externis defendatur, quem usum natura ip-
 sa demonstrare videtur, ceu quæ partes quasdam, non-
 solum attritui, sed & aëri expositas, pilis copiosissimis, &
 glandulis subcutaneis, unctuosum humorem secernentibus,
 ad defensionem donavit; imo etiam hominibus, qui cor-
 pus vestimentis non defendunt, pilos copiosiores crescere
 facit, ut conspicitur in iis, qui sibi soli commissi, in
 silvis adoleverunt. Inde non infrequentia exempla marium
 & foeminarum, quibus crines faciem, totumque corpus
 occuparent. (h) Ita quod ars corpori denegavit, natura
 restituit, crines copiosiores producendo, ut vestimenti
 munere, sicut in animalibus perfungantur; Deinde conferunt
 quoque pudori, ut legere est *Geneseos Lib. I. Cap. III v.*
10. ubi Adamus dicit: vocem tuam audiebam in hoc horto,
extimui autem eo quod nudus sim, & abscondi me; & paulo
inferius versu 21. Fecitque Jehova Deus Adamo & uxori ejus
tunicas pelliceas, quibus vestivit eos. Nec non ad decoratio-
 nem faciunt, ut ubique locorum pervulgatum est. Quod
 vero maximi est momenti, vestitus eum quoque in finem

B

ad-

(f) Lib. IV. Cap. 13.

(g) Fast. I.

(h) LENTIL. JATRON. Acta Hafniensia anno I. pag. 184. & ann.
 V. n. 103. JOH. SCHULZ von der Haar, Krankheit p. 105.

adhibetur, ut corpus à labe morbosa immune reddat, si-
quidem experientia quotidiana compertum est, vestitum
debita ratione, cum tempeſtiva variatione, uſurpatum,
haud parum ad morbos præcavendos valere; ſicut con-
trà negligentior, aut incongruus veſtium uſus, variis ma-
lis anſam præbere ſolet.

§. IX.

Cum itaque noſtrum propoſitum ſit, hæc paulo am-
plius contemplari, videamus primo, an morbi quidam,
& quales potiffimum, & qua ratione, à cauſa ſuperius
§. VIII. allegatâ, originem trahant. Neminem autem
Medicorum latet, quot quantaque mala à tranſpiratione
nimium aucta, imo in largum ſudorem converſa, vel &
ab eadem imminuta, planeque abolita, oriuntur. Hæc ve-
ro, ceteris paribus, ab impedita & minima, ad ſummam
increſcere poteſt, aucto ſemper calore ambiente; & vice
verſa, teſte quotidiana experientia. Veſtimenta autem
crassa ac valida, vel & gravia valde, ut ex lana, pellibus
animalium, &c. jam excalefacta, calorem, & per confe-
quens tranſpirationem augent, dum eum in corpus mi-
nus calidum tranſire conantem, humano corpori applica-
tum coërcent, accedente interim ſemper nova materia ab
interioribus, præprimis ſi motus accedat; e contra, veſtes
tenues, poroſæ, calorem difflari ſiunt, & hocce modo,
demto calore, tranſpirationem imminuunt, eo magis, ſi
corpus quieſcat, & aër frigidulus regnet, unde jam clarè
perſpicitur, veſtes dum augent, vel imminuunt tranſpi-
rationem, ſi non ritè, & debita cum variatione adhibean-
tur; prout athmoſpæra frigida, calida, vel temperata,
nec non ætates, temperamenta, & conſuetudines variæ, exi-
gunt, mutorum malorum cauſas evadere poſſe.

§. X.

Perſpecto haſtenus modo, quo per veſtimenta, ope tranſpirationis nimium auctæ, vel imminutæ, vel etiam penitus fere ſufflaminatæ, ad varios morbos via panditur, breviter nunc etiam indicandi ſunt effectus, ſive ipſæ ægritudines inde originem trahentes. Videamus igitur primum, quales potiffimum, & qua ratione, reſpectu tranſpirationis nimium auctæ, producantur. Veſtitus ergo nimium augens tranſpirationem, efficit exiccationem ſanguinis, diſſolato per poros cutis aquoſo, concretionem hinc facilem relictæ, ablata parte diluente, ejuſdemque denſitatem inflammatoriam, unde obſtructio & inflammatio, cum febre accedente, huiusque effectus diverſi, pro vario ejus gradu, nec non pro diverſitate partium, ætatis, ſexûs, temperamentis, anni temporum &c. ut ſunt phrenitis, angina inflammatoria, peripneumonia, arthritis, rheumatismus, fitis, dolores varii, &c. pro exitu autem horum morborum vario, novi iterum morbi originem trahere poſſunt, ut ſuppuratio, ſcirrhus, gangræna, ſphacelus, &c.

§. XI.

Sicut autem veſtitus, tranſpirationem ſupra modum augendo, morbos producit, ut modo diximus, ſic etiam, quando eam nimis imminuit, aut plane ſupprimit, varia mala creare ſolet. Nam ſi copia tranſpirantis liquidi, (quæ juxta SANCTORII obſervationes in Italia collectas, æſtimatur $\frac{5}{8}$ aſſumtorum (i), juxta obſervationes vero KEILIANAS in Britannia $\frac{4}{9}$. (k), & Gorteri in Belgio $\frac{4}{9}$. (l)) maximam partem, aut plane in corpore retinetur, actio hujus excretionis læſa erit; morbus autem, cum nihil

B 2

aliud

(i) Med. ſtat. Sect. I. Aphor. 6.

(k) Aphoriſm. 542. Aphoriſm. de inſenſibili perſpiratione oper. Gl. Gorteri adnexor.

(l) Tractat. de inſenſibili perſpiratione ſanctorian. Batav.

aliud sit quam actio læsa, (m) sequitur itaque, transpirationem nimium imminutam, aut plane abolitam, jam jam morbum constituere. Materia autem retenta, producit varia morbifica effecta: nam acrimonia sua, aut copia superabundante, nimium replet, & onerat vasa, hinc se -- & excretionem turbat, cor vero irritat, ut dato spatio sæpius se contrahat, unde febres: aut ad interiora, maxime ad tunicas glandulosas oris, narium, faucium, bronchiorum, delata, tussim, coryzam, defluxiones, & febres catarrhales, excitat: ad intestina autem depulsa, tormina, diarrhoeas, dysenterias, aliaque similia parit. Unde juxta HIPPOCRATEM, suo sensu dici potest: *cutis raritas, alvi densitas* (n), & vice versa. Demum & incute hærens, calore & stagnatione acrior reddita materia, vascula cutanea erodens, diversos creat morbos cutaneos, ut scabiem, exantemata, varia &c.

§. XII.

Frequentissima vero morborum causa deprehenditur, si frigus subito calenti aut æstuanti corpori applicatur, dum calorem ægrè tolerantes homines, vestimenta abjiciunt, & refrigerio grato quidem, nimis autem noxio sese committunt; nam vasa & moleculas sanguineas, calore rarefactas & expansas, frigus admissum condensat, & constringit, globulosque concrefcere facit (o) unde, pleuritides, & pro varia dispositione interna, varia morborum soboles, podagra, rheumatismus, malum ischiadicum, & alii supra jam recensiti morbi.

§. XIII.

Vestimenta quoque nimis arcta, sæpius haud parum nocent.

(m) BOERHAAV, Instit. Medic. §. 2. & 696.

(n) Epidemicor. Lib. VI.

(o) Van SWIETEN, Commentar. par 117.

nocent, quod præprimis in sexu fequiori conspicitur. Ita namque foeminae ad formam elegantiozem obtinendam, capiti suo ita pectus constringunt, & torquent, ut non solum ventriculi functio naturalis multum impediatur, verum & ipsa vitalis respirationis actio haud parum turbetur, sicque nonnumquam animi deliquiis, peripneumoniae, & paulatim phthisi pulmonali, causam præbent. Cachexia etiam frequenter, partim læsæ ventriculi coctioni, partim impeditæ pulmonum actioni, tanquam sanguificationis organo primario, tribuenda videtur. Ino hæc coarctatio nimia, in causa esse potest, quod tam frequenter chloroticæ puellæ conspiciantur, dum formæ elegantia excellere studentes, thoracem ita constringunt, ut assumpta in sanam naturam converti & assimilari nequeant, de quibus plura legi possunt apud GERHARDUM van SWIETEN, qui vidit aliquando sanguinem V.S. adhibita exivisse album. (p) Hinc pallores, debilitates, turbatas se -- & excretiones, aliaque plura id genus mala, oriri videmus.

§. XIV.

Interdum partes heterogeneæ & infecta, una cum vestitu imprudenter applicata, maximas noxas & perturbationes in œconomia corporis produciunt. Ita SCHENCKIUS perhibet, contagio ope vestis communicato, viginti quinque Tentones obiisse, & septem pueros eandem ob causam defunctos esse (q). Turcas quoque, Persasque vestimenta toxico quodam inungere, quibus tunc miseris mortem inferant (r). Cum quo convenit observatio BOERHAAVII, de Muliere Delphis apud figulum ferviente, & lateres plumbo obducente, quæ per totam vitam miserrimas ærumnas passa est, languorem, dolores,

B 3

asthma.

(p) Commentar. §. 25.

(q) Observat. medic. Lib. VI. pag. 791.

(r) Eiusdem Observat. medic. Lib. VII, pag. 836.

asthma (s). Idem quoque autor asserit, rabiem caninam, attactu & pertractatione multa: rerum à cane, fele, rabida &c. demorsarum, & infectarum, per consequens etiam vestium, communicari (t). Cujus rei elegans exemplum à SCHENCKIO nobis describitur, his verbis, fartrix quædam, cum chlamydem scissam rabidis moribus, fariendam fumeret, atque ore stamina componeret, & lingua pannorum futuras lamberet, quo transitum acus faceret faciliorem, tertia die in rabiem venisse memoratur. (u) Nec non corpora quædam vestimentis infixæ, evidentissime vi mechanica nocent, ut fecantia, acuta: cujusmodi exemplum commemorat BOERHAAVE hunc in modum: Infans erat, qui absque causa nota febrabat, ejulabat, convellebatur, inquisivi undique, nihil discebam, tandem jussi corpus denudari, ita reperta est acicula, corpori miselli sub vestimentis infixæ, ea remota, imposito fomento, totus morbus ablatu est. (w)

§. XV.

Cum igitur ex prioribus clare pateat, quod non paucæ ægri tudines vestitui quomodocunque depravato tribuendæ sint, exinde quoque deducitur, vestimenta rite usurpata, ad morbos præcavendos haud parvi esse momenti, dum id, quod usu immoderato mali causa evadit, moderato tollitur, & impar redditur, ad morbos producendos. Qua autem ratione hoc in actum deducatur, evidentius patefcet, traditis quibusdam regulis diæteticis, inprimis respectu diverforum anni temporum, eorumque tempestatis, quæ sæpius morbis ansam præbent, nam testante jam HIPPOCRATE (x), *mutationes anni temporum, maxime*

(s) HERM. BOERHAAV. Prælect. academ. §. 1143.

(t) Ejusdem Aphorif. de cognof. & curand. morbis §. 1136.

(u) Observat. Medic. Lib. VII. pag. 847.

(w) Prælect. academ. §. 744.

(x) Section. III. Aphor. I.

*xime pariunt morbos , & in ipsis temporibus, magna mutationes,
aut frigoris , aut caloris , & alia pro ratione eodem modo.*

§. XVI.

Unicuique autem sana ratione prædito notum est, annum in quatuor diversa tempora, ver, æstatem, autumnum, & Hyemem dividi, cœlum etiam diversis hisce temporibus quam maxime variare, & tempore veris aliud, quàm æstate, & sic porrò deprehendi. Secundum hæc ergo diversitates procedamus, ut sperspicatur, qualis vestitus diversis hisce anni temporibus, corpori humano conducatur: à vere ut incipiamus, illud atmosphæram alit modo humidam, modo siccam, modo calidam, modo frigidam, modo ventosam, quæ transpirationi æquabili maxime obest, per §. XI. hinc prospiciendum, ut ea, quantum possibile, rite procedat; hoc autem fit, vestimenta hyberna non tam cito cum æstivis, permutando; ut frigus, humiditas, ventus, arceatur, & calor æquabilis, quousque licet, corpori applicatus maneat. Nam etiamsi tunc temporis calor atmosphæricus interdum regnet, is tamen non tam excessivus deprehenditur, ut homini vestimentis cooperto statim intolerabilis reddatur, & transpiratio nimis augeatur. Si vero æstate appropinquante, horis meridianis calor corpori nimis molestus sit, vestimenta solidiora abjici, & cum levioribus mutari poterunt, sollicitè cavendo, ne declinante in vesperam die, frigus vespertinum corpus denudatum pænè inveniat, sed citò satis vestimentis calefacientibus corpus denuo muniat, ut noxæ à frigore ingruente præpediantur.

§. XVII.

Si tandem æstas increverit, qua corpus sudoribus pænè diffluit, vestimenta levia porosa primum locum obtinent, ad moderandam largiorem cutaneam excretionem, quæ

quæ , dum in denudato plane corpore fatis bene procedit , nimia evaderet , si corpus vofibus denfioribus operiretur. Quam viam ipfa animalia bruta nobis monftrare videntur , quorum pelles hyemali tempore , lana & crinibus copiofiffimis oblitæ , æftate decidunt , & rariores redduntur. Horis autem vespertinis , quo tempore aër plerumque refrigeratur , & rores gelidos vefpera remittit , five cum dies pluvioli incidunt , fi quis exfpatiari velit , tum corpus vefte paulo melius contegere fudeat.

§. XVIII.

Declinante nunc æftate in autumnum , qui modo calidus , modo frigidus , modo nebulofus eft , multorumque morborum hanc ob caufam ferax , fecundum HIPPOCRATEM , *In temporibus , quando eadem die , modo calor , modo frigus fit , autumnales morbos exfpectare oportet* (y) hinc probè adnitendum , ut corpus ab hifce viciffitudinibus & injuriis aëris immune reddatur. Hoc fit induendo cito fati vefimenta conftipatiora , ad cutaneam excretionem promovendam , quod Latiniffimus CELSUS , optimè jam monuit , dicens : *per autumnum verò , propter coeli varietatem , periculum maximum eft , itaque neque fine vefte , neque fine calceamentis prodire oportet , præprimis diebus frigidioribus , neque fub divo nocte dormire , aut certe bene operiri.* (z)

§. XIX.

Hyeme jam fecuta , homo fanitatis ftudiofus , vefimenta induat conftipatiffima , feu unum alteri fuperimponat , ut acré mordens frigus , cutimque ob impeditam exhalationem in monticulos quafi attollens , arceatur , & corpori calor concilietur ; quod eoufque continuabitur , donec tempeftas vernalis diætam §. XV. traditam , iterum expectat ,

(y) Aphorif. Section. III. Aphor. 4.

(z) De Medicina Lib. I. Cap. 3.

petat, & efficiat, ut circulum quasi annuum, priori ad finem perducto, de novo percurramus. Ne quis autem de sanitate nimium sollicitus, sibi persuadeat, corpus suum ab injuriis probè defendi, si nubecula forte in coelo appa-
rente, imbre modico decidente, aut calore vix sensibili subsequente, &c. vestes quotidie ter quaterve immutet; è contra periculum est, ne corpus nimis mobile & sensibile reddatur, unde data quavis occasione, cum arctam hanc-
ce diætam observare nequit, à levi tali causa, quam alii vix sentiunt, fatis graviter lædatur, quod pluribus exem-
plis illustrari posset, nisi temporis angustia vetaret.

§. XX.

Vestimenta nimis arcta, sordibus foeda, aut aliis no-
xiis referta, plane non induantur, nisi prius ampliata, purgata, & ab omni alieno & nocituro liberata. Hoc autem in casu pestilentiae, ægre fieri potest, cum natura veneni & contagii sæpe sæpius nos lateat, ita ut medica-
mentis directè in ea operantibus morbosum seminum de-
struere nequeamus, adeo ut omnes vestes igne destruendæ sint, quibus homines peste extincti, aut morsu canis rabidi læsi, usi fuerant. Sin autem divinando, & modo hoc, modo aliud medicamentum in usum trahendo, ge-
nium contagii, & veneni in aëre obvolitantis, detegatur; vestimenta nondum infecta ad prophylaxin aliquid pote-
runt. Ita v. g. si nocens illud alcalinæ sit indolis, acida tunc proderunt, vestimenta ergo intingantur humoribus acidis, aceto &c. ut materia venenata, per vestes pene-
trans, antequam poris applicetur, in naturam falis medii quasi inoxiam transmutetur; idem eveniet, si è contra acidis alcalina adhibeantur. Cum verò nobis insciis, arte venefica integumenta corporis infici possint, unusquisque sibi prospiciat, quibus cum hominibus rem habeat, & se potius amicis, quam inimicis committat.

C

§. XXI.

§. XXI.

Perspecta jam methodo, quâ observatâ spes est, mortales à morbis præcaveri posse, videamus nunc etiam, an vestitus curationem morborum, jam jam incumbentium adjuvare valeat? Hoc ratio cum observatione, tam in acutis, quam chronicis, locum habere, nobis persuadet. Ita in morbis acutis febrilibus, ubi calor, fitis, &c. ægrorantes molestat, eo moderamine vestium, aut stragulorum, consulere juvat, ne fervor ad summum usque gradum invalescat, quo perseverante, tandem dissipatis fluidioribus, crassiora relinquerentur, unde febris, cum fiti &c. non sine præsentaneo vitæ discrimine, in immensum usque increveret. Hoc regimen nempe ægros refrigerio tradendi, SYDENHAMO adeo arridebat, ut illud passim in operibus suis commendaret, totamque propè curationis felicitatem exinde pendere arbitretur. Chronica quoque mala, haud parum solatii à vestimentis idoneis percipiunt, sub quibus comprehenduntur quoque ea, quæ à causa §. XI. & XII. allegata, ortum trahunt: si enim à frigore pori constricti sunt, calor ope vestium corpori conciliatus eos aperit, & sublata causa tollit effectum; Ipse vapor, qui ex partibus corporis nostri exhalat, dum tibialibus ex pelle confectis repercutitur, atque colligitur, quantum sæpe in podagra non affert levamen? Interdum quoque vestimentis insuuntur quædam ex fonte pharmaceutico petita, ut in cucuphis usu venit. Alia etiam integumenta eodem modo imbui possunt, ut capita herbis cephalicis repleta, quibus infantes rachitici induti, egregium inde usum capiunt, ut Cl. FRIDERICUS ZWINGERUS studiorum meorum promotor, fautor, & patronus, omni cum pietate & observantia ad aras usque colendus, in praxi sua sæpius comperiisse testatur.

§. XXII.

Hoc autem adhuc admonendum videtur, quod ple-
raque

raque supradicta ratione climatis , consuetudinis , ætatis ,
 idiosyncrasæ &c. plurimum varient, ita ut non omnibus
 omnia conveniant ; hinc prudentiæ medici committitur
 dijudicare , quid huic, vel illo subjecto, noxium aut salubre
 fit. Habes igitur, Benevole Lector , quæ hacce de materia
 in medium proferre placuit , quod si quædam minus benè ,
 nec politè satis pertractata , invenias , illius versuli memi-
 neris, quæso , si defint vires, tamen est laudanda voluntas.
 Sed finem petimus fessi,


ergo

Ancora de prora jacitur , stant litore puppes.



... in the ...
... the ...
... the ...
... the ...
... the ...
... the ...
... the ...
... the ...
... the ...
... the ...

... the ...



TIFFEN Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black